TENTAMEN MEDICUM N° 163.

SYSTENS

PRÆCIPUAS ICTERI FLAVI SPECIES;

Quod pro gradu Doctoris Medicinæ ritè obtinendo, inclytæ Facultatis Medicæ Parisiensis examini submittit, et die decimoquarto mensis Augusti tueri conabitur,

J. LUDOVICUS BOREL, Neocomensis Helvetus,

Scholæ practicæ adscriptus.

Inter præcipua artis nostræ desiderata, illud meritò reponimus, ut scilicet singuli quique morbi in tot speciebus subdistinguantur, quot sunt morbi primarii à quibus foventur, aut causæ vehementes constantesque à quibus producuntur, et singularum specierum proponantur signa caracteristica, cum historiâ primâ earumdem, nec non medendi methodus cuilibet opportuna et stabilis.

BAGLIVI, *Praxeos medicæ* lib. 2, cap. 9, art. 1, §. 3.

PARISIIS,

EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Facultatis medicæ parisinæ.

1816.

FACULTAS MEDICA PARISINA.

Professores.

D. LEROUX, Decanus.
D. BOURDIER.
D. BOYER.
D. CHAUSSIER.
D. CORVISART.
D. DEYEUX.
D. DUBOIS.
D. HALLÉ.
D. LALLEMENT, *Præses.*
D. PELLETAN, *Examinator.*
D. PERCY, *Examinator.*
D. PINEL, *Examinator.*
D. RICHARD, *Examinator.*
D. THILLAYE, *Examinator.*
D. DES GENETTES.
D. DUMÉRIL.
D. DE JUSSIEU.
D. RICHERAND.
D. VAUQUELIN.
D. DESORMEAUX.
D. DUPUYTREN.
D. MOREAU.
D. ROYER-COLLARD.

Nono decembris mensis die, anno 1798, Scholæ medicæ Professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se nec approbari nec improbari, statuerunt.

VIRO PRÆSTANTISSIMO VENERANDOQUE

JOHANNI GAUDIN,

Ecclesiæ Germanæ Nividunensis Pastori.

Ob sua in me merita, hasce pagellas

DICAT VOVETQUE

GRATISSIMUS AUCTOR

J. L. BOREL.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tentamenmedicums0006vari

TENTAMEN MEDICUM

SISTENS

PRÆCIPUAS ICTERI FLAVI SPECIES.

Abundè constat icterum morbum esse qui flavo colore cutis et oculorum insignitur cùm fecibus ut plurimùm albicantibus seu cineritiis, et urinâ croceâ, chartam linteaque eodem colore fœdante.

Historiam hujusce morbi completam absolvere instituti mei non est; sed diversas modò species pro virili meâ parte inquirere statui, necnon curativas indicationes stabilire, unicuique accommodatas ac methodos; utinam meæ vires ad tantum onus sufficerent!

Icteri ætiologiam non aggrediar, quippè quòd satis constare mihi videatur, bilem in jecore secretam et in sanguineam massam translatam, undè ad cutem defertur et ad oculos, veram causam esse ex quâ oriatur aurigo; et *Helmontii* phantasmata ab omnibus irridentur, nisi fallor, ut qui ex affluxu bilis in sanguinem icterum fieri negabat. Quâ viâ bilis adferatur in sanguifera vasa, meî non est inquirere; an nimirùm ad venam cavam vehitur, venulis absorpta hepatis, aut vasa lymphatica unicum sunt iter, quo in sanguinem affunditur? Satis sit præcipuas causas assignare, quæ bili dant ansam, ut in humorum massam effusa icterum producat.

Prædispositionem quandam cutis nonnulli necessariam autumârunt, sine quâ fieri non posset aurigo, et eâ ratione explanârunt cur sub iisdem causis non semper induceretur hic morbus; quod interdùm accidere posse intelligitur, et videtur accidisse in qui-

busdam casibus. Sic, post laxationem cutis nimiam, visus est icterus invasisse ; et hoc modo forsitan agunt balnea tepida, ex quibus flavus color cutem illicò quandoquè deturpavit (1). Observatum est in sene hemiplegiâ lateris dextri et ictero simul correpto, adeò se continuisse icterum intra latus resolutum, *ut etiam nasi dextrum latus icteritium esset, sinistrum verò colorem naturalem retineret.* (2)

Varios effectus inducit in ictericorum sanguinem effusa bilis, qui nonnunquam exitiales evaserunt. Languent vires coctrices, quippè humore bilioso priventur ut plurimùm intestina, cujus in duodenum affluxu videtur ex magnâ parte chymus in chylum converti. Sanguis diù cum bile immistus vitiatur, enormes hæmorrhagiæ interdùm superveniunt, quæ periculum vitæ faciunt (3) ; pulsus tardior fit ut plurimùm ; in icterico non ampliùs trigesies septies in carpo pulsâsse arteriam intra minutam observavit *Hunter.* Ad organa secretoria allatus sanguis humores secretos vitiat et inqui-

---

(1) Nonnullis vidit *Galenus* plurimum flavæ bilis sub cutem profundi à balneo. (De locis affectis, lib. 5, cap. 7.) A laxatione immodicâ corporum debiliorum aliquandò icterum subitum à balneis, imò et in balneis natum vidit *Lorry.* (De Morborum conversionibus, sect. 1, cap. 3, art. 1.)

(2) Ephemer. nat. curios., cent. 3, obs. 64, necnon *Morgagni*, epist. anat. med. 11, §. 14.

(3) In ictero sæviore, non rarò se hæmorrhagias vidisse ait *Huxham*, ex ferè omnibus corporis meatibus, vix ullis cedentes remediis ; imò haud citiùs uno loco cohibueris, quàm eruperit alio. Observationem refert ictericæ mulieris, quæ sanguinem profudit vehementer ex naribus, viis urinariis, utero, intestinis, et tandem cum sanguine animam. Vir poculis meracioribus, spirituique vini deditus, in icterum incidit gravem, qui, pravâ methodo curatus, ab enormi gingivarum hæmorrhagiâ correptus est, et intra sexdecim horas penè exsanguis exanimatur. (*Huxham*, obs. de aëre et morbis epidemicis anni 1737.) Jam annotaverat *F. Hoffmannus*, icterum chronicum cum scirrho hepatis junctum in enormem hæmorrhagiam aliquandò terminari. (Med. rat. syst., t. 4, cap. 12, §. 16.)

nat, ita ut suis muneribus rectè fungi nequeant; interdùm protracto morbo hydrops inter cutem fit, imò etiam et ascites. Ingenti nonnunquam pruritu cutis cruciantur icterici, qui somnum fugat; et largos abscessus sub cute, ex eâ causâ natos observârunt viri in arte præstantissimi. (1) Labat corpus et vis animi facescit; mœrent ægri, et tristitiâ conficiuntur, aut stupidi fiunt; motus muscularis hebes evadit, ut vix se movere queant. Nec tamen locum semper obtinent enarrati effectus; imò non eveniunt ut plurimùm, nisi diuturnus fuerit morbus et pertinax, nullisque remediis auscultans : quandò ex levibus causis oritur aurigo nec difficulter depellendis, vix ægrotare videntur icterici, ut patebit infrà descriptis variis speciebus.

SECTIO PRIMA.

Icterus à nimiâ bilis secretione.

Vix apud auctores descripta invenitur hæcce species; etsi ab observatoribus adnotata fuerit interdùm. Hujus mentionem obiter injecit *Galenus* (2); de hâc locuti sunt *Fernelius* (3), necnon *Lomnius* (4); hanc meliùs descripserunt *Andræas* (5) et *Portal* (6).

Corripit ætate consistentes, biliosos, in quibus subflavus est habitualiter color cutis. Æstate maximè invadit calente Sirio, post

---

(1) In juvene ictero defuncto, abscessum observavit *Stoll* in humero dextro, qui, post mortem incisus copiosum, humorem profundebat *biliformem*, qui in telam cellulosam effusus fuerat (Rat. med., pars. 3.) — « Natos abscessus ab hâc solâ « causâ (bilis nimirùm ad cutem translatione), absoluto alioquin morbo (ictero) quis non vidit? (*Lorry*, opere citato, sect. 1, cap. 1, art. 1.

(2) De locis affectis, lib. 3, cap. 5.

(3) Pathol., de morbis jecoris, cap. 5 et 8.

(4) Observ., lib. 2.

(5) Journal de Médecine, t. 91 et 92.

(6) Observations sur le traitement et la nature des maladies du foie, chap. 3.

exercitationem nimiam, in apricis præcipuè locis, aut post errores in diætâ commissos ; concitatur nonnunquam ab irâ aut alio animi violenti pathemate.

Oculi flavescunt primùm, deindè facies, ad tempora præsertim, et tota denique cutis. Urina mingitur crassa, profundè colorata, rufa, chartam et lintea tingens colore croceo, sedimentumque lateritium subsidens. Feces liquidæ sunt interdùm, biliosæ, nonnunquam verò duræ, sed bilé tinctæ; alvus invadente morbo aliquandò stricta, laxatur in posterùm ; biliosa quandoque vomit æger, aut etiam accidunt per vices vomitus et diarrhæa biliosa ; os amarum est, et lingua tegitur crustâ flavo-viridi. Cutis ut plurimùm sicca est et valdè pruriens ; at prodeunt nonnunquam sudores largi, levantes, et quæ lintea colore flavo fœdant. Fruuntur cæterùm validâ sanitate ægri ; nullo dolore hypochondriorum conqueruntur, neque hîc ullus conspicitur tumor. Rarò attamen interdùm in hunc icterum illabuntur nonnulli cum virium prostratione et languoribus.

Icterus ex bile exundante ab aliis speciebus dignoscitur dejectionum præcipuè naturâ et colore, aliisque *polycholiæ* signis. In speciebus nempè quæ describentur infrà, alvus pertinaciter stricta est, aut stercora si prodeant, alba vel cinericia conspiciuntur.

Morbus hic lenis adeò et simplex est nonnunquam, ut faciliter cedat, absque medicamentis ullis adhibitis, sed modò regimini accommodato. Quod ubi accidit, sensim evanescit flavedo cutis ; oculi minùs flavescunt, dùm eodem tempore minùs crassæ ejiciuntur urinæ, colore clariore, et sedimentum tenuius subsidentes. Diarrhæâ biliosâ solvitur interdùm morbus, aut vomitu materiæ ejusdem indolis.

Non tamen semper adeò mitis est icterus de quo nunc ; aliquandò pertinacior fit, et ægri non liberantur, testante Bianchi (1), *nisi ad*

(1) Historia hepatica, pars 2, p. 184.

autumnum refrigerato aëre ac imbribus emollito, quod cæterùm perrarò accidit; et jure mihi videtur dixisse Kleinius (1): *Arquatus ex bilis abundantiâ, non adeò periculosus, ut ille ex obstructione jecinoris et corruptione.*

Indicationes curativas ostendit natura morbi; cùm nempè bilis abundans nimis causa sit hujusce icteri liquet, 1.° refrænandam esse bilis secretionem auctam, et ad normam reducendam; 2.° biliosam colluviem intra ventriculum et intestina redundantem ducendam esse foràs.

Ad morbum præcavendum plurimùm valet regimen vitæ moderatum. Fugiant homines temperamenti biliosi victum lautum, præsertim tempore æstivo; abstineant butyro, et cibis qui valdè sunt pingues et malè coquuntur : utantur potiùs victû, non multùm è carnibus, sed ex oleraceis eupeptis, et fructibus horæis, quibus addi possunt carnes vitulinæ, necnon pulli gallinacei, elixæ vel assatæ. Ne vino nec spiritibus ardentibus indulgeant, sed parùm vini bibant et albi. Exercitationes et labores graves vitandi sunt, in locis præsertim apricis. Hæc diæta, religiosiùs obsequenda est, ictero jam existente; quippè hâc ratione minuatur bilis secretio; et aurigo vix curatur, nisi gulæ imperet æger, atque recidivæ fiunt, regimen ubi citiùs remittitur, testante experientiâ (2).

Viam curationis ostendit natura, quæ morbum aliquoties solvit, superveniente diarrhœâ aut vomitu bilioso. Sic bilis exundans vacuàri oportet. Cùm tamen irritatio quædam, ferè semper subsit in primis viis, evacuantia adhibenda sunt, nonnisi præmissis diluentibus. Hîc apprimè quadrat divi senis effatum : *Corpora ubi quis purgare voluerit, fluida facere oportet* (3). Dentur ideò juscula carnium vitulinarum, aut pulli gallinacei, cum decoctis è radicibus

---

(1) Interpres clinicus.

(2) Vid. *André*, Maladies chroniques du foie et de la bile, traduit par *Martin*, Journal de Médecine, t. 91.

(3) Aphor., s. 2, §. 9.

graminis, patientiæ, chicorii, etc., quibus pauxillùm nitri addi potest. Cùm irritatio remiserit, atque nauseat æger, et os sit amarum, et lingua muco flavo obducatur, emeticum dare oportet, quo loco optimè confert tartarus stibiatus (tartras potassæ stibiatus); morbus visus est minuisse, statim post vomitum largum materiæ biliosæ; hoc jamdudùm observaverat *Galenus* (1). Emesis reiteranda est quoties instabit indicatio; et pluries interdùm emeticum exhibere oportet.

Deorsùm purgante uti conducit, ubi tormina in abdomine adsunt cum dolore lumborum atque crurum, aliisque signis quæ biliosam colluviem in intestinis denuntiant. Ne tamen drastica adhibeas; alvum enim nimiùm moveres, nec absque noxâ. Lenia cathartica optimè conducunt mannata, rhabarbarica, necnon sales medii, sulfas sodæ, aut magnesiæ, vel etiam tartras potassæ acidulus, etc. Dentur insuper sorbitiones largæ, decoctiones diluentes, aperientes, etc., etc.

Observationes nonnullæ Icteri à bilis secretione nimiâ.

Brassavolus, in suis ad *Hippocratis* aphorismos commentariis, de homine loquitur morbo regio et febre laborante : incisa vena sanguinem luteum fundebat, excrementa prodibant lutea; sputa ac urina colore eodem inficiebantur; *hujus totum corpus bile plenum erat.* Tamen ab hâc febre liberatus est, et vivebat adhuc cum suo ictero, quo tempore hæc *Brassavolus* scribebat, fecibus et urinis croceo colore fœdatis; et, ut verbis auctoris utar, *adeò, ut ejus anima in bile viveret* (2).

Ad hanc icteri speciem referendam esse autumo, illam quæ neonatos paulò post partum invadit auriginem, cùm rectè vacuatur meconium, nec impedimentum est quominùs bilis in intestina sese ef-

(1) De locis affectis, lib. 3, cap. 7.

(2) Comment. ad aphorismum 64, lib. 4, ex *Schenkio* citatus.

fundat. In hoc casu, flavo colore adumbrantur neonatorum cutis et oculi, aliquot à partu horis, aut imò diebus. Meconium absque morâ egeritur; urinam mingit puerulus lintea colore croceo tingentem; abdomen tensum non est, nec tumor apparet in regione hepatis. Sponte plerumquè is icterus evanescit, et paulatim redditur cuti naturalis color. Huene referri debet aurigo, quæ cel. *Morgagni* liberos omnes, quindecim numero, haud multò post partum invasit, et sponte evanuit (1)?

In lucem edita est puella med. *Baumes*, cum hoc roboris et evolutionis gradu, qui post menses novem in utero expletos in infante requiritur. Mater ejus, dùm erat gravida, levem icterum perpessa fuerat, qui judicabatur diarrhæâ biliosâ, in fluxum dysentericum posthac desinente; absque ullâ tamen noxâ. Puer lavabatur statim à partu cum aquâ tepidâ saponatâ; pauxillùm seri lactis melliti usurpavit de die, usquedùm matris ubera sugeret. Duodecim abhinc horis, denuò lotus est eâdem aquâ; meconium profluerat abundè, et urinam multam minxerat. Die proximâ, cutis flava per universum corpus apparuit; sensim flavedo videbatur augeri: urina croceo colore fœdabat lintea, et meconium egerebatur naturaliter. Quieta puer, ubera matris sugebat; venter mollis erat, nec tensio apparebat ulla in hypochondrio dextro. Medicamentum adhibitum est nullum, quia indicatio non erat cur ageretur. Cutis flavedo per triduum permansit. Continuatæ sunt lotiones, et frictiones cum panno laneo sicco, pluries de die instituebantur. Minuit paulatim flavedo, et cutis rediit naturalis color (2).

Dùm Argentorati studiis medicis incumbebam, et praxi navabam operam in nosocomio practico, benigniter mihi egregius professor *Flamant* curam ictericorum neonatorum commiserat, ut sub suis

---

(1) *Morgagni*, Epist. anat., med. 48 §, 60.

(2) *Baumes*, Traité de l'Ictère, ou Jaunisse des enfans de naissance, ouvrage couronné en 1785 par la Faculté de Médecine de Paris, deuxième édition, observation première.

oculis susciperem: Inter hos ictericos, nonnullos vidi qui aliquot horis, aut diebus à partu flavescebant per universam cutem et oculos; attamen copiosum egerebatur meconium, colore flavo viridi, et urinam mingebant, quæ colore croceo lintea inficiebat. Valebant cæterùm, et lac perbellè sugebant. Medicinam his ferè nullam feci, adhortante perito profes-ore; et intra paucos dies sensim evanescebat icterus. Historias ejusmodi aliquot in schedis meis reperio adnotatas, quarum unam huc paucis verbis referam.

Infanti, diebus a partu duobus, universa cutis flavescebat, et facies præsertim, in regione temporum, et oculi. Statim post partum, qui facilis fuit, lotus est puerulus aquâ tepidâ, et lac ad ubera matris suxit. Meconium tamen prodibat, et regulariter posthac copiosèque dejectum est. Valebat puer, et robustus videbatur; nulla abdominis tensio, nullus in hypochondrio dextro tumor. Auxit flavedo ad diem usque tertium, à quo icterus apparuerat; tunc clarior evasit color cutis, et facies palpebrarum interna inflammatione detineri incæpit. Infusio sambucci præscribebatur, ut pluries de die oculi lavarentur.) Minuit sensim aurigo, atque omninò evanuit septimo die postquàm ingruerat; nec multò post ophthalmia desiit (1).

Ad icterum à bilis abundantiâ referendum esse mihi videtur illum qui febri biliosæ symptomaticè supervenit, et quo stipatur febris *flava* dicta (typhus icterodes), quæ inter Americanos et Europæ nostræ calidas regiones tanto cum periculo epidemicè grassari visa est.

Nonnunquam cum aliis morbis complicatur aurigo de quâ nunc; undè indicationes curativæ variæ. En complicationis cum peripneumoniâ insigne, nisi fallor, exemplum.

Juvenis viginti annorum, pincerna, corpore pleno, robusto, à

(1) Neonatorum vidi nonnullos ictero simul et inflammatione palpebrarum detentos; inter hos affectus ratio, an interfuerit causæ et effectus, pro certo affirmare non audeo.

biennio non interruptâ sanitate gaudebat. Die maii anni 1779 inhorruit, posteà incaluit. Dedolatus erat, sitivit; oris amaror, anxietas, oppresso thorace difficulter spirabat; sextâ maii, calor et cephalalgia major, amaror adhuc perstans. Dolor thoracem opprimens auctus, et ad totum epigastrium extensus; tussis cruenta. Fit venæ sectio; sanguis crustam exhibuit summoperè pleuriticam; non levatur. Die octavâ maii, defertur in nosocomium, colore icterico tinctus; omnia eadem. Vena bis secta : sanguis pleuriticus et icterodes; levamen nullum. Die nonâ maii, omnia pejora; tussis cruenta hucusque perstat. Vena hoc die secta videbatur aliquid levaminis attulisse; sanguis corium pleuriticum et ictericum habuit. Die decimâ maii, caput minùs dolet, totum corpus magis flavescit suffusum bile. Os hucusque semper amarum, lingua hirsuta, flavo muco oblinita : nauseæ, respiratio citata, laboriosa, oppressio totius thoracis; anxietas magna circa præcordia. Scrobiculi et totius abdominis quasi contracti sensatio, cum ingenti anxietate. Intro trahi potissimùm hypochondrium dextrum existimabat. Pulsus celer, amplus, plenus, attamen absque duritie. Alvus facilis et *biliosa* : decubitus solum in dorsum, rejectio cruenta; vesperi venæ sectio uti anteà. Hucusque febris quotidiè increvit. Die sequenti, datum est emeticum, undè multa et profundè flava revomuit, cum ingenti levamine omnium symptomatum. Tussis nulla, nec ulla cruenta sputa. Icterus vesperi dilutior. Die duodecimâ maii et sextâ morbi, evanuit aurigo. Ex eâ die, sub usu decocti ex gramine, taraxaco et chicorio, sumpto dein elixirio stomachico temperato, convaluit æger, ut die vicesimâ maii optimè se habuerit, excepto adhuc aliquo crurum aquoso tumore (1). Ex symptomatibus morbi allatis, apparet quânam fuerat indole, necnon ex efficaciâ propinati emetici. Complicabantur nempè pulmonum inflammatio et colluvies biliosa; urgebat peripneumonia, cui primùm venæ sectione erat occurrendum; tartarus emeticus in primo morbi tem-

(1) *Stoll*, Ratio medendi, pars 3.

pore propinatus, inflammationem adauxisset valdè, nec sine summo periculo, qui posteà exhibitus, et cum inflammatio remisisset, iterum statim et omninò solvit.

SECTIO SECUNDA.

Icterus à bilis spissitudine et viscositate.

Alia icteri species à bile nimirùm spissâ nimis aut viscidâ, quæ, felleos ductus infarciens, obstat quin sese in duodenum effundat. Morbus veteribus non ignotus, de quo mentio fit apud *Galenum* (1). Morbus hic invadit ætate consistentes et ad senium vergentes, rarissimè verò juvenes. Homines præcipuè corripit, vitam sedentariam et desidiosam degentes, et litteratos maximè, qui lautiùs viventes, statim post pastum, pleno admodùm ventriculo, studiis prono corpore adsident. Hâc morbo non rarò confliguntur homines mœrore confecti, et qui diu noctuque memores iras sub pectore versant.

Dignoscitur ex causis prægressis, ad visciditatem bilis producendam aptis. Cutis profundè flava est; oculi eodem colore fœdantur; urina mingitur crassa profundèque crocea; alvus ut plurimùm pigra et cinericias feces egerens. Interdùm bilem spissam, viscidam, rejiciunt ægri vomitu aut deorsùm; tunc stercora prodeunt colore flavo, sed haud multò post albicant rursùs. Visus est nonnunquam icterus evanuisse, tenaci bile per vomitum rejectâ. Cel. *Van-Swieten* asserit bilem se aliquoties vidisse *instar glutinis tenacis cohœrentem*, vomitu redditam, nunquam posteà redeunte ictero (2). Adsunt prætereà innappetentia magna, lingua alba, humida, gravitas in hypochondrio dextro, præsertim paulò post pastum; flatuositas, tarditas ad motum, et virium debilitas.

---

(1) De locis affectis, loco citato.

(2) Comment. ad *Herm. Boerhaav.*, aphor. 950.

Ad hanc speciem icterus referri anne debet, quem oriri autumant ex pituitosâ colluvie in primis viis hærente, in duodeno imprimis, necnon ille qui neonatis evenit, ubi spissum et viscosum nimis meconium sponte evacuari nequit?

Ut eliminetur tenax illa et viscosa bilis, indicatio adest, et præcaveatur, ne in posterùm morbus redeat.

Ad hunc scopum emetica valdè prosunt; et jurè laudantur apud plurimos. Sæpiùs se vidisse ait *Hoffmannus*, ex unicâ emetici dosi, dimidiam, quin et integram bilis crassæ et obscurioris coloris mensuram eructatam fuisse, et indè cuncta symptomata remisisse, ciborum appetentiam rediisse, feces ac urinam colorem naturalem recuperavisse, et evanuisse penitùs inquinamentum cutis (1). Nec tamen emetica sunt exhibenda, nisi magnâ cum cautelâ; etenim gravem interdùm noxam inducere possunt; si nempè nimis turgeat vesicula fellis, accidere potest, ut enormes ad vomendum conatus irritationem concitent prægravem, quin etiam ut ipsa vesicula rumpatur. Idcircò apprimè conducit, ut antè emesin potus exhibeantur diluentes, necnon leniter aperientes, inter quos præaliis prosunt decocta radicum chicorii, carotæ, fœniculi, patientiæ, etc., et juscula carnium vitulinarum, aut pulli gallinacei. Juvant adhuc succi plantarum expressi, taraxaci, boraginis, etc., et serum lactis, aut lac asininum, à divo sene in icterum laudatum. Reiteranda est nonnunquam emesis, ut omninò deleatur causa morbi. Tartarus emeticus eximium præstat opus ad hunc scopum; interdùm tamen radix ipecacuanhæ, præ illo exhiberi oportet, propter vim quâ gaudet tonicam.

Cathartica, etsi generaliter minùs conducant ad vacuandam bilem nimis viscidam, quippè quod magis vires pessundent, optimos tamen aliquotiès effectus sortiuntur, præsertim ubi vomitus cieri non potest. Valdè laudatur ab *Huxhamo*, sal ex aceto et alkali fixo;

---

(1) Consult. med., sect. 3, cas. 57.

(acetas potassæ) ex cujus usu se eximios successus asserit obtinuisse in ictero à viscidâ bile (1). Aloëtica adhuc prosunt; bilem tenacem unà egerunt, et tonum primis viis dant quem amiserunt. Quadraginta abhinc annis, ab anglo medico *Whitt*, decantabantur vitelli in frigidâ diluti, ac sæpiùs de die exhibiti, ut optimum remedium ad solvendam viscosam bilem (2). Magno cum successu *Durandeus* asserit se hoc remedium exhibuisse, et sæpiùs vidit, post illud per aliquot dies usurpatum, disparuisse aurıginem, supervenientibus levibus doloribus colicis, quos dejectio tenacis bilis brevi sequebatur (3). Eodem remedio se usum profitetur *Maretus*, et pari cum successu. Observationes refert nonnullas icteri qui sub tali medelâ prorsùs evanuit, quas tamen accuratiores desiderares. Vitellum ovi lego feliciter exhibuisse *Martinum*, sequenti methodo. Post emeticum, ægris propinabat solutionem cremoris tartari (tartras potassæ acidulus) cum succo citrorum; sorbitio prætereà dabatur multa, sæpiùs de die, calidæ, in quâ diluebantur vitelli cum saccharo (4). An hoc remedium potest in intestinis bilem nimis viscidam resolvere? Certè non liquidò patet; attamen cum successu exhibitum est in hoc morbo; nec mihi testimonium videtur omninò contemnendum virorum de arte medicâ benè meritorum (5). Cæterùm, adeò lene est remedium, ut, si morbum non fuget, nocere tamen non possit.

---

(1) Observat. de aëre et morbis epidemicis, ann. 1737.

(2) Gazette de Santé, ann. 1774, n.° 9. Lettre de *Maret*, de Dijon, au rédacteur de la Gazette.

(3) *Durandse*, Observ. sur l'efficacité d'un mélange d'éther et d'huile volatile de térébenthine dans les coliques hépatiques produites par des pierres biliaires. (In præfatione, p. 39.)

(4) Vid. *André*, Maladies chroniques du foie et de la bile, trad. de l'anglais, par *Martin*, Journal de Médecine, t. 91.

(5) Dissertatio publici juris facta est *Jenæ*, ann. 1791, cui titulus: *De curatione icteri maximè per vitellum ovi*, auctore *Schwanz*; hanc ad manum non habui.

Bile tenaci vacuatâ, medicamina leniter tonica exhibere oportet. Huc apprimè faciunt amaricantia, quæ simul alvum blandè ducunt; rhabarbarica, aloëtica, et id genus. Victûs ratio, eo modo institui debet, ut in posterum morbus præcaveatur. Icterus qui neonatos invadit, atque ex viscido et tenaci meconio originem habet, faciliter cedit sub usu sirupi è chicorio aut rheo, vel floribus amygdalarum persicarum, qui cochleatim exhiberi debet, ita ut puerulus uncias duas vel tres usurpet de die, in aquæ distillatæ cujusdam aromaticæ, unciis quatuor vel quinque; saponem venetum enixè commendavit *Boerhaavius*, à dosi quinque granorum ad drachmam dimidiam, qui etiam eximios effectus sortitur. Hisce remediis si non fugaretur morbus, fortiora adhibenda essent. Vomitus, si videatur indicatus, cieri potest pulvere radicis ipecacuanhæ granibus duobus vel tribus, cum pauxillo sacchari trito; vel etiam exhibeatur tartari emetici dimidium granum, in aquâ florum aurantiorum distillatâ. Vacuato meconio, leviter tonica præscribeantur, quibus ventriculum et intestina paululùm roborentur.

OBSERVATIO. Vir quadraginta natus annos, vitæ sedentariæ ac librorum lectionibus deditissimus, cibos duriores, sale aspersos, fumo induratos in deliciis habens, atque sub epulis vino adusto uti solitus, ante annuum tempus, diuturnâ febri quartanâ correptus fuerat, nullis prætereà morbis obnoxius. Intra novissimum semestre, ex conjugis dilectæ et duorum liberorum obitu, ingentem mœrorem excepit. Binis et quod excedit abhinc mensibus, vehementi excandescebat iracundiâ, quam protinùs præcordiorum anxietates, auriginosus cutis color, ac denique contumacissimus icterus exceperunt, frustrà adhibitis cujuscunque generis medicinis. Facies, album oculorum, et universa cutis, veluti tincturâ croci suffusa flavescit. Urgent quotidiè ructus, putrem spirantes odorem, nausea, ciborum fastidium, præcordiorum angustia, adpetitus dejectio; crebri vexant conatus, ad alvum pariter ac urinam reddendam; at ubi dejiciuntur, pauca sunt et cinericio colore

imbuta stercora. Lotium mingitur parcum, instar crassioris cerevisiæ opacum, absque ullo sedimento, lintea pingens colore, et valdè saturatum. Si vel exiguam cibi sumpserit portionem, ventriculi pressionem, et pectoris anxietatem, cum gelido totius corporis sudore sentit; extra lectum commorari nequit, atque sæpiùs prævio horrore, æstu præternaturali ac oris siccitate torretur. Arteriarum pulsus languidus ac debilis; somnus inquietus est et turbulentus; regio sinistri hypochondrii et circa scrobiculum tensa observatur, et à pastu paululùm inflata. Variis remediis usus erat æger, purgantibus et aperientibus; ex iis nonnunquam symptomatum levamen observabatur; feces quandòque flavo colore tinctæ prodibant, at brevi post accedebat alvi obstructio, et tùm pristina ludebatur scena. In hoc statu æger erat, cùm *F. Hoffmannus*, consultus de hoc morbo, ratus icterum à bile copiosiori viscidâ et in ductibus biliosis, non minùs ac intestino duodeno stagnante, trahere originem, emetica censuit ægro esse exhibenda. Quatuordecim abhinc diebus responsum est, ægrum præscribente medico suo ordinario, radicis ipecacuanhæ scrupulum unum usurpâsse cum tartari emetici uno grano mixtæ, et hinc vacuatâ per quinquies iteratum vomitum, insigni saburræ viscidæ, ac bilis atræ crassæque quantitate, ipsum meliùs habuisse, somnumque tranquillum ac egregiam ciborum adpetentiam recuperâsse. Tùm in usum vocatis pulvere rhabarbarino, pulvere digestivo salino, ac decocto passularum, feces ac urina naturali colore imbui, ac cutis paulò nitidior fieri cœpit. Iteratum est, ægro desiderante, emeticum, et indè ultra dimidiam mensuram bilis vomitu reddita est; ex eo ictericus color magis magisque disparuit, et æger ad pristinam rediit sanitatem.

SECTIO TERTIA.

Icterus à concrementis biliosis.

Causam icteri frequentissimam biliosa concrementa constituunt, si multis credas (1); morbus veteribus parùm notus, et qui, annotante *Hallero*, sub tempore renovatarum litterarum innotuerit. Concrementa hæc reperiuntur in hepate, et in vesiculâ fellis et cystico ductu, necnon in canalibus hepatico et choledocho.

Observationes benè multæ concrementorum in jecoris substantiâ leguntur apud auctores; nec tamen adeò sunt frequentes, ut *Mathiolo* assentiri possis dicenti: *Lapides in jecore, uti in renibus frequentissimè gigni* (2). Egregius *Morgagni*, qui pluries lapides in renibus reperit, vix unum invenit in jecore; quod *Valsalvæ* etiam accidit, qui, quantùm celeberrimus ejus discipulus novit, in nullo hepate concrementa reperierat (3). Illorum qui calculi in hoc viscere invenerunt, non multi sunt, qui ex hâc causâ natum icterum videre. *Dodonæus* se vidisse testatur nonnullorum, qui ab ictero in asciten delapsi erant, *jecinora adeò dura, et lapillis undequaquè plena, ut novaculâ præscindi non potuerint* (4). Camenicenus et Dobrzenkius concrementa hujusmodi in hepate reperierunt quæ causam icteri evaserant (5). Reperiuntur interdùm calculi in jecoris acinis; huc referuntur à *Morgagni* minores illi, quos in externâ hepatis facie vidit *Riedlinus* (6), quod tamen rarò accidit. In poris

---

(1) Vide præsertim Essays of a society ad Edimburgh, v. 1, *Van-Swieten*, comment. in *Boerhaav.*, aph. 950. *Heberden*, Commentaries on the history and cure of diseases, chap. 50.

(2) Sepulch. *Boneti*, lib. 3, sect. 18, schol. ad observ. 8.

(3) Epistol. anat. medica, lib. 37, §. 11.

(4) *Schenkius*, Obs. med., lib. 3, obs. 36.

(5) *Morgagni*, loco citato.

(6) Ephem. nat, curios. cent. 3, obs. 45.

biliariis, ut plurimùm concrementa impacta fuerant, quæ in hepate viderunt observatores; interdùm poros opplebant, et figuram *ramiformem* referebant : hos calculos Platerus vidit *coralloïdes ramosos, interdùm cavos intrinsecùs, membranâ crassâ, mucosâ succinctos* (1). Cystim sibi quandòque formaverant in jecore biliosa concrementa; hoc *Benivenius*, *Peucer*, et alii observârunt (2).

Mirum non est, concrementa in jecore sita plerumque auriginem non induxisse. Si nempè rem attentè perpendas, apparebit facilè huic morbo vix locum esse, nisi majores hepaticos ductus obstruant, vel premendo occludant, ita ut ex hepate difficulter influat bilis in vesiculam suam et intestina.

Multò frequentiùs concremata occurrunt in vesiculâ fellis, et non sine jure multis videntur inter icteri causas præcipuum obtinere locum. Nec tamen causam hujus morbi necessariam constituunt; etenim penè innumeras concrementorum historias præbent auctores, in quibus tamen nulla fuêre icteri indicia. Ex undeviginti calculorum felleorum historiis, vix semel icterum vidit Cel. *Morgagni* ab eâ causâ natum. In quatuor hujus modi observationibus quas habet *Valsava*, nullus prodiit ictericus color. Sectiones corporum quatuordecim refert *Hallerus*, in quibus vesiculam concrementis reperit refertam; in tribus modò ægris apparuerat aurigo; nec non addere vir eximius confidit suâ experientiâ constare, concrementa biliosa plerumque absque ictero esse (3).

Indè liquet quantùm decepti fuerint, qui concrementa in vesiculâ fellis sine ictero exstare negaverunt. Diverso modo auriginem inducere possunt quæ in vesiculâ sedent calculi : 1.° dùm nimirùm hujus cystis collum opplent, vel cysticum ductum; 2.° cùm orificium ductus hepatici occludunt, et obstant quominùs bilis

(1) Obs. med., lib. 3, p. 879.

(2) *Schenkius*, loco citato.

(3) Opuscula pathologica, obs. 10.

effluat ex hepate; 3.° dùm ductum choledochum obstruunt, et impedimento sunt quin in duodenum effundatur humor biliosus.

Non me fugit plurimos esse qui negant icterum fieri posse, obturato vesiculæ fellis collo, cum perviis ductibus hepatico et choledocho; eorum tamen opinio non me movet; utpotè experientiæ non consentanea. Femina a tribus septimanis ictero correpta, in nosocomium practicum vindebonense allata est, et horæ unius spatio moritur. Ubi sectum fuit cadaver, nulla pars membranacea, nulla vena aut arteria, nullum in quâcunque cavitate latitans viscus repertum est quod non fuisset croceo colore tinctum. Ipsum cor, corticalis cerebri substantia, et serum in cavis cerebri repertum, eundem colorem habuerunt; nec cartilagines et ossa, ad meditullium usque, hujus coloris erant immunes. Hepar et vesicula fellis, præter colorem præternaturalem, nihil quod esset memoratu dignum offerebant. *In ductu autem cystico* calculus inæqualis, valdè durus, scrupulum unum pondere excedens, adeò pertinaciter impactus hærebat, ut nulli vi posset antrorsùm premi retrorsùmve; sectione debebat extricari. In cavitate vesiculæ pauca bilis erat, eaque lenta et granulosa (1). — Neque experientiæ magis consentanea est illorum opinio, quâ negatur icterum produci posse à concrementis in ductum hepaticum impactis.

Calculi biliarii in choledochum impulsi sæpissimè morbum regium causant, præsertim ubi magnæ sunt molis, et sic omninò obstant quin bilis effundatur in duodenum. Casus exstat apud *Sculletum*, qui primo intuitu, his contradicere videtur. Juvenis quidam nobilis Gallus, post mortem sectus est; abdomine recluso, repertus est ductus choledochus concretione biliosâ obturatus, pisi volumine, quo loco in duodenum hiat; attamen nulla prodierunt icteri indicia, etsi communis ductus adeò esset obliteratus, ut ne

(1) *Storck*, Annus medicus, pars 1, p. 150.

minima quidem bilis guttula in duodenum exprimi posset (1). An in hoc casu dispositio cutis quædam fuerit, aut humorum, quæ sententia fuit nonnullorum; aut satiùsne esset supponere, communem ductum in duos ramos fuisse divisum, utrumque in duodenum hiantem; structura quam aliquoties observârunt anatomici? In tali nempè dispositione partium, non intellectu difficile est, uno ex ramis calculis obliterato, posse et alterum bilem effundere in intestina.

Aliâ demùm ratione, icterum nonnunquam inducunt concrementa vesiculæ, quam obstructione merè mechanicâ. Irritando enim et vellicando nerveas partes, vesiculam et ductus biliarios in spasmos ciere queunt, qui occludant exitum bili; et hoc modo explanatur, cur interdùm, sub antispasmodicorum usu evanuerit aurigo, quæ ex concrementis originem habuerat.

Calculorum felleorum completam expromere historiam, mei operis non est; in his modò insistam, quæ ad notitiam icteri plurimùm faciunt. Componuntur, ex maximâ parte, materiâ quâdam peculiari, quam *adipocirum* ex *Fourcroy* chemici nostri temporis vocant, et interdùm aliâ prætereà materie flavâ, mole parvâ, quæ calculis colorem præbet plus minùsve fulvum. Rarissimè *pichromel* invenitur in concrementis corporis humani. Calori modico exposita, liquescunt; in alkalibus solvuntur, necnon oleis fixis volatilibusque; spiritu vini fervido affuso solvuntur, et bracteolæ subsidunt micantes, solutione refrigeratâ.

Adulti frequenter concrementis biliosis cruciantur, et maximè ad senium vergentes; nec sexui parcit sequiori morbus. Juvenes rarissimè invadit; juniores et pueros nunquam ab hoc morbo correptos esse, auctor est *Hallerus*. Non tamen semper perindè res se habet. Observationes neonatorum apud *Portalum* lego, qui profundè flavebant per universam cutem; non multò

(1) Armamentum chirur., obs. 61.

post partum, migravêre ad superos. Reclusis eorum cadaveribus, inveniebatur hepar sanguine turgidum, et biliares ductus concrementis referti erant (1).

Vita desidiosa et sedentaria valdè confert ad hunc morbum producendum; quod veteribus minùs innotuerit, non falsò forsitàn autumat *Hallerus*, causam adscribendam esse exercitiis gymnasticis quæ olim valebant, et nimiùm negliguntur in nostris temporibus. Reperti sunt sæpè calculi in vesiculâ reorum, qui diù vitam degerunt in carceribus (2). Mirum est quantùm valeant animi pathemata ad hos calculos generandos.

Symptomata et decursum morbi adeò graphicè describit cel. *Van-Swietenius*, ut suis verbis uti mihi peropportunè videatur. Incipiunt ægri conqueri de quadâm tensione molestâ circa præcordia, et ponderis quasi gravantis sensu; quibusdam aliquot a pastu horis, acris satis cardiæ dolor fit. Quandoquè dolor visus est per plures menses præcessisse icterum. Observatur tunc levis quandoquè flavedo in cantho majori oculorum : urinæ parùm plus coloratæ sunt, et per alvum biliosa excrementa seponuntur. Posteà subitò nullâ sæpè causâ procathartica accedente, oritur inexplicabilis anxietas, dolor intolerabilis circa cardiam, imò etiam per totum abdomen, quem tunc colicum vel iliacum dolorem credunt; accedit febris, vomitus enormis, et dùm per aliquot horas hæc symptomata duraverant, remittunt; sed totum corpus icterico colore perfunditur. In quibusdam, primo insultu, tota facies et pectus flavescunt, non verò reliquæ corporis partes; urina mingitur saturatissimo colore flavo, et commodè se habent. Quosdam et molestus dolor lumbos et latera obsidet, antequàm icterici fiant; quod et videtur observâsse *Hippocrates*, dicens : *Quibus lumborum*

---

(1) Observations sur la nature et le traitement des maladies du foie, chap. 3, obs. 6.

(2) *Haller*, Mém. sur le mouvement du sang, traduit par *Tissot*, chap. 6, p. 144.

dolor et lateris, sine causâ manifestâ, hi regium morbum incurrunt.

Post viginti quatuor horas, quandoquè citiùs, quandoquè seriùs, tales ægri commodè se habent, et cùm pondus illud gravans præcordia non amplius sentiant, integram sanitatem brevi futuram confidunt. Urinæ sensim fiunt minùs coloratæ, flavus cutis color evanescit successivè, et, post paucos dies, nihil omninò de morbo superesse videtur. In quibusdam, intolerabilis pruritus adest toto tempore dùm corporis cutis bile perfusâ flavescit. Verùm post aliquot septimanas, quandoquè etiam post aliquot menses, tota hæc malorum series eodem ordine redit; et ubi plures tales insultus passi sunt ægri, manet perpetuus icterus, subindè quidem ingravescens, sed non tam validis symptomatibus stipatur; color saturatissimus per universum corpus diffunditur; ipsa saliva amarescit (quod rariùs tamen observatur); tandem, procedente tempore, pedes incipiunt tumere sensim magis magisque, denique et abdomen, et hydropici pereunt. Quandoquè et contingit insultum hujus morbi adeò validum esse, et febrem comitem adeò intensam, ut vera hepatis inflammatio sequatur, cum subitâ quandoquè morte, aliquandò hepatis suppuratio perniciosa. Frequentiùs autem prior morbi decursus obtinet, tandem, nisi curetur, lentâ morte finiendus. Feces alvinæ quandoquè aliquot diebus ante paroxysmum incipiunt esse albæ, griseæ, argillaceæ; quandoquè, in primis morbi insultibus, incipiunt flava per alvum prodire, dùm simul ictericus color in cute et urinâ apparet (1).

Anne signa certa sunt, quæ morbum semper concomitentur et discriminent adeò, ut cum aliis icteri speciebus confundi non possit? Ejus natura minùs rectè videtur innotuisse viro in arte medicâ præstantissimo *Sydenhamo*, qui hunc morbum sub no-

(1) *Van-Swieten*, loco citato.

mine *colicæ biliosæ* et *hystericæ* eximiè descripsit ; error jam diù à *Boerhaavio* adnotatus (1). Icterus evanidus et recidivans plerumquè signum est, quo vera morbi indoles innotescit, cùm simul adsunt symptomata colicæ hepaticæ, quæ suprà descripta est. Nec tamen omninò consentaneum est experientiæ quod dixit *Baglivi : Si icterus semel curatus, denuò ac sæpiùs recidivet, signum est infallibile oriri à calculo vesiculæ fellis* (2); etenim frequentes recidivas habet icterus, quem spasticæ contractiones systematis biliferi causant ; nullis tamen in vesiculâ concrementis exstantibus. Rectiùs dixisse mihi videtur Cel. *Van-Swietenius* asserens, *periodici icteri causam frequentissimam esse calculos felleos;* et qui ab illustri suo præceptore monitus, ubi icteri periodici occurrebant in suâ praxi, semper cogitabat de calculis in cysti felleâ hærentibus, atque ad hunc scopum totam indicationem curativam direxit, sat felici sæpè successu, si ei credas.

Signum præbent certissimum biliosa concrementa quæ cum fecibus egeruntur. Quâ de re, excrementa sedulò lustrare oportet in ictero, monente jamdudùm *Galeno*. Attamen inter stercora non semper seponuntur calculi, qui fiunt interdùm grandes nimis, ut per choledochum egredi possint; quod præsertim accidit in principio morbi ; etenim procedente tempore, calculi intra choledochum multoties trusi, hunc ampliant ductum, et sic viam sibi ad intestina faciunt : hoc modo ejecta legis apud auctores, magni certè voluminis concrementa, si cum angustiâ ductûs communis conferas. Dolorem colicum in umbilico pro signo pathognomonico concrementorum felleorum habebat *F. Hoffmannus ;* quod tamen non semper verum est, et cum experientiâ minimè consentit.

Imò etiam inficias non ibo, inducere posse nonnunquam auriginem hæcce concrementa, nullis hunc morbum stipantibus aliis

(1) Prælectiones academicæ, cum *Hall.* Comm., t. 3, p. 165.

(2) Praxeos medicæ lib. 1.

symptomatibus. Sæpè post mortem reperta sunt concrementa in vesiculâ, quæ vivente homine nullum in hypochondrio dextro, neque dolorem, neque incommodum, nec ulla demùm symptomata excitaverant. Præter observationes ejusmodi benè multas ab auctoribus relatas, lego cel. *Guil. Hunterum* auditoribus suis narrare solitum, mulieris juvenis historiam, quæ per omne vitæ tempus, nullum, nec in intestinis, nec in regione hepatis passa fuerat incommodum; in cujus tamen vesiculâ, post mortem reclusa inveniebantur concrementa mille et ducenta numero (1).

In curatione hujusce morbi, duo præcipuè veniunt consideranda; quo modo nimirùm inter paroxysmos ægro opitulari debeatur, ubi doloribus cruciatur; et post insultus fugatos, quæ sit ratio delendi morbi causa.

Dùm instat paroxysmus, indicatio videtur urgens, irritationem compescere immanem et ingentes dolores. Ad hoc conferunt maximè largi potus, emollientes et emulcentes; sic exhaurire debet æger solutionem gummi arabici in aquâ tepidâ, cui affundatur sirupus florum aurantiorum, cum exiguâ dosi ætheris sulfurici, vel liquoris mineralis anodyni, seu aquam tepidam mellitam, aut juscula carnium vitulinarum cum sirupo violarum. Hi largi potus, dùm irritationi opitulantur, enormes ad vomendum conatus juvant qui nonnunquam prosunt, ubi biliosa concrementa parvæ sunt molis, et per communem ductum transire possunt. Opiata quandoquè eximios effectus habent; ingentes turbas consopiunt, et quietem dant miseris ægris. Nec tamen semper conveniunt; dùm nempè plethora adest, aut inflammatorius status, noxas inferunt; quo in casu, sæpiùs congestiones ad caput illa remedia causâsse, et anxietates enormes observavit *Durandeus*. Balnea tepida jurè laudantur intra paroxysmos; irritationem et dolores maximè leniunt; eundem ferè effectum obtinent fomentationes emollientes in hy-

(1) *J. André*, Maladies chroniques du foie et de la bile, Journal de Médecine, t. 92.

pochondrio dextro. Nonnulli vesicam aquâ tepidâ turgidam apposuêre in epigastrio, undè ægris evenit non parvum solatium. Emollientia adhuc prosunt, sub formâ clysmatis injecta, utpotè irritationem consopiant, et feces crassas in colo hærentes eluendo, alvum laxent.

Interdùm adeò validus est paroxysmus, ut vera hepatis inflammatio et vicinarum partium invadat; quo in casu, necesse est venæ sectionem instituere, et quandoquè pluries reiteranda est: tunc universus cæterùm antiphlogisticus, pro re natâ adhibendus est. Sanguinis missioni locus est etiam, ubi plethora nimis urget.

Maximè fugienda sunt inter paroxysmos emetica, nec non cathartica, quæ alvum violenter movent; valdè enim nocerent, et quandoquè summum periculum inducerent: quin etiam visa est vesicula rumpi, inter enormes vomendi conatus (1).

Post paroxysmum, ubi prorsùs evanuerint irritationis symptomata, alia occurrit indicatio, ut nimirùm in posterum præcaveantur insultus, et deleatur causa morbi. Satis experientiâ multiplici constat, icterum à calculis felleis, multoties evanuisse, sponte naturâ expulsis hisce concrementis, nec posthac rediisse; observationibus ejusmodi libri scatent. Huc casum proferam dignum qui iterùm narretur. Mulier quadraginta circiter annos nata, quæ plures partus ediderat, temperamenti sanguinei, vitamque degens sedentariam, noctu dolore acutissimo corripitur in regione scrobiculi, et in parte dorsi oppositâ. Pulsus fit celer, durus, plenus; anxietas ingens; sitis incompescibilis aderat et calor ingens. Cibum nullum etsi levissimum retinebat ventriculus; nauseæ et vomitus, absque cibo deglutito. Sanguis è vena missus corium valdè rheumaticum præbebat. Quinto et sexto die ab invadente morbo, delirabat ægra; aderant singultus, et frequenter animus deliquebat. Tribus quæ secutæ sunt septimanis, pluries missus

(1) *Bertini*, Medicina absoluta, lib. 12, cap. 1, qui citatur à *Durandeo*.

est sanguis, et clysmata sæpè injecta; remiserunt symptomata; sed tunc per universum corpus color profundè flavus diffundebatur; urina eodem colore inficiebat lintea, dùm contra feces egerebantur albicantes. Propinabatur ægræ infusio senæ cum rhabarbaro, ex quâ dejectiones prodierunt coloratæ, etsi parum remitteret flavedo cutis; attamen omnia symptomata evanuêre. Nec ita multò post novus ingruit paroxysmus, vomitû stipatus et dolore in epigastrio, nec non molestâ in jecore sensatione, cum pruritu universæ acutis, atque debilitate et oppressione, aliisque symptomatibus, nullâ tamen superveniente febre. Iterata est denuò potio purgativa, eodem cum successu. Diebus abhinc decem, ecce novus accedit insultus, iisdem quàm alter stipatus symptomatibus, qui potioni purgativæ non cessit, etsi repetitæ. Ideò præscribuntur ex saponis veneti et aloës partibus æquatis pilulæ, ut alvus moveretur. Post remedium usurpatum, dolorem percepit ægra, è regione vesiculæ, ad lineam usque albam se extendentem, dolor quem anteà sæpè senserat; et cum stercora fortuitò lustraret, biliosa invenit, et corpora quædam in his natantia volumine minora pisi; novem hoc die prodierunt numero; die sequenti aliquòt etiam seposita sunt, reiteratis pilulis. Tunc multùm symptomata remisêre; sed haud multò post recrudescunt, et denuò concrementa duo alvo prodierunt; sequenti paroxysmo qui post paucos dies ingruit, quatuor rursùs egerebantur. Observatum est symptomata semper remisisse, stercora ubi evaserant biliosa. Tres abhinc elapsæ sunt septimanæ, cum magno dolorum allevamento; tunc verò vehementissimus invadit insultus, aliis intensior, si primum excipias; febre commitatur et vomitû. Tertio die post, easdem pilulas usurpavit ægra; absque ullo effectu, die sequenti delirabat sine manifestâ causâ; quinto, pilulæ rursùs deglutiuntur, quæ alvum reddiderunt liquidam. Inter feces concrementum prodiit, fabam æquans volumine, formâ prismaticâ; faciem unam habebat levigatam, perindè ac si altero concremento adhæsisset; quod et etiam observatum fuerat in aliquot calculis

qui anteà ex alvo prodierant. Aliquandiù posthàc, equo vecta obambulavit ægra, atque catharticis et balneis calidis usa est; exindè optimè convaluit, nec iterùm invasit aurigo (1).

Vomitu sponte interdùm rejecta sunt concrementa biliosa, et hoc modo icterus profligatus, qui nunquam in posterum ingruit. Ejusmodi observationem legis in Commercio litterario anni 1737. Nec etiam concrementorum moles semper obstat quo minùs per choledochum transeant, et alvo ejiciantur. In propriæ uxoris matre vidit cl. *Van-Swietenius*, post plures periodicos icteri paroxysmos, subitò fuisse dolorem ortum satis intensum, cum animi deliquio, et quidem in illo loco (quem ægra digitis monstrabat), ubi duodenum locatur; post quadrantem horæ cessabat dolor, cumque sollicitè lustrabantur feces alvinæ, inter has inventum fuit post biduum concrementum *pollicis articulum æquans*, albicans exteriùs et durius, unctuosum tamen; in meditullio nucleum habebat flavum et molliorem; binæ quasi foveæ in superficie impressæ erant : posthàc adhùc bini calculi magnitudine priori non cedentes prodierunt. Exin sat benè se habuit, ab ictero libera (2). Etsi natura quandoquè calculos felleos tali modo expellat, cave tamen credas remedia exhibenda esse, quæ vomitum cieant, aut alvum vehementer moveant; hanc à nonnullis laudatam methodum prudentes medici reprobârunt, et non sine jure, nisi fallor. Nam et plerumquè irritatio valdè augetur ab illis violentis arte concitatis motibus, et alia symptomata ruunt in pejus. Inficiari tamen nequeo nonnunquam emetica et cathartica profuisse in hominibus pituitosis, in quorum vesiculâ calculi latitabant parvæ molis et obtusis marginibus; at sanguineis et plethoricis nocerent valdè, et calculi si fuerint magni voluminis, et figuræ angulosæ, plurimùm damni inferrent.

Jamdudùm medici remedia quæsivêre, quibus concrementa

(1) Essays of a society at Edimburgh., t. 2, n.° 28.

(2) *Van-Swieten*, Comm. in *Boerh.*, aphor. 952.

biliosa dissolverent. Ex *Silvio* retulit *Boerrhaavius*, boves qui hyemis sub tempore laboraverant calculis felleis, vere ineunte sanari, cùm pascerent per virides herbas, et qui addidit, laniones per æstatis decursum concrementa non reperire in hisce animalibus. Atqui, æstivo tempore, bis se invenisse calculos in vesiculâ bovium, asserit *Thenard* (1), nec consentaneum videtur novas herbas ad solutionem horum concrementorum facere; etsi sub earum usu meliùs se habere possint ægri (2). Varia dehinc decantata sunt remedia, quibus calculi biliarii dissolverentur. Cum felici eventu se spiritum vini rectificatum exhibuisse cum oleo terebinthinæ mixtum asserit *Vallisneri*, et hujus remedii ope à calculis liberatos fuisse ægros. Eandem mixtionem laudavit *Whitt*; at ab aliis medicis exhibita, ex voto minimè successit.

Anno 1774 experimenta edidit *Durandeus*, circa calculos felleos instituta, ex quibus constaret æther sulfuricum, oleo junctum terebinthinæ, menstruum optimum esse, quo dissolverentur hæc concrementa. Aliud opus anno 1790 publici juris fecit de efficaciâ hujusce remedii contra calculos felleos (3). Ibi observationes multas in medium affert, in quibus cum magno emolumento fuit exhibitum. Dolores mitigabantur, et intra tempus plus minùsve protractum; calculi per alvum prodibant parvi voluminis; imò etiam in muliere hoc morbo diù cruciatâ, bilis spissa et glutinosa præ calculis egerebatur. Cum his consentiunt observationes *Mareti* et *Hoini*, quæ in eodem opere referuntur. Quæres fortè an hoc remedium concrementa verè dissolvat in vesiculâ, aut aliâne ratione juvet. Magis mihi illorum sententia arridet, qui putant hoc remedium spasmos solvere, et minuere dolores atque dilatationem

---

(1) Mémoires de la Société d'Arcueil.

(2) Casum videris apud *Van-Swieten* hominis, qui ictero à calculis felleis usu graminis liberabatur. (Comm. ad *Boerh.*, aph. 950.)

(3) Observations sur l'efficacité du mélange d'éther et d'huile de térébenthine dans les coliques hépatiques produites par des pierres biliaires.

ductûs communis præbere faciliorem, ita ut facilè per choledochum transeant calculi; estque ea opinio experientiæ magis consentanea, ut mihi videtur; adhuc tamen *sub judice lis est.*

Quæcunque sit agendi ratio, experientiâ sat constat, eximios effectus præstitisse in curandis concrementis biliariis, dummodò cum cautelis exhibeatur. Minimè convenit, ubi inflammatio adfuerit, vel etiam irritatio quædam in jecore. Idcò usurpari debet, nonnisi præmissis diluentibus et anodynis, nec antequàm irritatio prorsùs quieverit. Ex duabus partibus olei terebinthinæ componitur hoc remedium, et tribus ætheris sulfurici. Propinatur quotidiè, horâ matutinâ, dragma una, et statim post sorbitio exhibetur seri lactis, aut jusculum carnium vitulinarum, aut sirupus violarum in aquâ dilutus. Ubi ex usu hujus remedii evenerit irritatio, et dolor adfuerit in hypochondrio dextro, per aliquot dies abstinendum eâ mixtione, et balneis tepidis utendum; quandoquè necesse est in hoc casu ut sanguis mittatur. Remedia leniter aperientia, sub usu liquoris *Durandei*, optimè conducunt, ubi parumper intumuerit hepar, nec ulla tamen irritatio in hoc viscere fuerit. Utendum est remedio pro morbi diuturnitate et pertinaciâ; ad libram unam generaliter usurpandum est, intra totum morbi decursum, auctore *Durandeo*. Sub exitu morbi, quandò nullus ampliùs dolor adest in hypochondrio dextro, nec anxietas ulla post pastum sentitur, atque facies et oculi non ampliùs flavescunt, lenia cathartica exhibere oportet, quæ tunc prosunt, et noxas induxissent fortè, si ante liquorem exhibuisses (1).

Aliam medendi methodum in quibusdam casibus instituendam proposuerunt haud timidi chirurgi, inter quos imprimis numeratur peritissimus *Petit*, qui hanc cum successu semel expertus est: de vesiculæ sectione loquor. Inflammationem interdùm excitârunt in felleâ cysti calculi, undè cum peritonæo adhæsit, atque tunc rupta, abscessus efformavit in abdominis parietibus, qui erosâ

(1) *Durande*, Opere citato.

cute pus unâ cum bile effuderunt, cum quibus interdùm concrementa prodierunt. In paucis indè morbi sanatio completa evasit; in nonnullis ulcera permanserunt insanabilia, cum cuniculis fistulosis, undè bilis et ichor manabant, et calculi quandoquè prodibant. Non desunt ejusmodi observata; apud *Petit* reperies (1), et *Cheseldenum* (2), et *Hallerum* (3), et *Morgagni* (4), ut alios omittam : nuper casum memorat haud absimilem anglus auctor (5). In unum consentiunt medici, in id nimirùm quòd nunquam vesiculæ sectio fieri debeat, nisi cum peritonæo adhæreat intimè. Si nempè hæc adhæsio non adesset, sectâ vesiculâ, in abdomen bilis effunderetur, undè inflammatio intra breve tempus lethalis. Apparet indè quanti intersit, ut signa certa noscantur, quibus pro certo dignoscatur adhæsio vesiculæ fellis cum peritonæo. Pro signis pathognomonicis *Petit* sequentia habet : 1.° signa anamnestica pluries repetitæ phlogoseos in hepate, cum colicis hepaticis ; 2.° tumor vesiculæ immobilis, in eodem remanens loco, seu lateri sinistro jaceat æger, aut tumorem manu attrectes et ad latera comprimas ; 3.° œdema aut rubor circa tumorem. Hæc signa non satis certa videntur nonnullis peritissimis chirurgis, ut sectio vesiculæ instituatur ; inter quos expertissimus *Sabatier* primum locum tenet, qui hanc operationem omninò rejicit (6). Meliùs esset forsitàn observationes numerosiores expectare, quam de hâc encheirei præmaturiùs dijudicare, et cum sagacissimo *Morgagni* lubenter dicam : *In re novâ, licet magnam interdùm possit utilitatem*

---

(1) OEuvres posthumes, t. 1,

(2) Anatomy of the human body.

(3) Opuscula pathol., obs. 10, cas. 8.

(4) Epist. anat. med. 37, 52.

(5) *Thomas*, the modern Practice of physic.

(6) Mémoire sur les tumeurs formées par l'amas de bile dans la vésicule du fiel, inséré parmi ceux de la première classe de l'Institut, 1807, premier trimestre.

habere, expectandum potiùs, dùm tempus pluribus iteratis exemplis, dubitationes, pericula, difficultates tollendo, confirmet, quàm festinandum in eâ, perindè ac si jam undiquè perfecta esset, ponenda (1).

SECTIO QUARTA.

Icterus à contractione ductuum biliosorum spasticâ.

Morbus est non rarò occurrens, et ab *Hoffmanno* inter causas icteri frequentissimas annumeratur : quam opinionem secutus est cl. *Morgagni.* Nonnulli sunt qui hanc speciem fieri posse negant, quippè fibræ musculares non reperiantur in ductibus biliariis, quibus contrahi possint; ut si motus tonicus adauctus hunc effectum non sortiretur. Cæterùm causæ remotæ, nec non antispasmodicorum in hoc morbo salutares effectus, satis demonstrant quænam sit ejus natura.

Plerumquè homines corripit temperamenti nervosi aut melancholici, quorum corpus valdè est irritabile, et animus ad iram pronus; quapropter frequentiùs occurrit in sexu sequiori, et sunt qui observârunt quasdam mulieres non irasci violenter, quin flavus color earum cutem deturpet et oculos. Neonatos invadit interdùm, nec viris parcit, iis imprimis qui sunt habitûs corporis melancholici atque irritabilis. Innumeræ pænè causæ sunt quæ morbo dant occasionem, et vix possunt omnes annumerari. Inter has, primum locum obtinent animi pathemata, et ira ante omnia excandescens, quæ corpus universum convellit, et in hepar præsertim agit. Hoc veteres poëtas non fugit. Contentionem legas in *Homero*, Achillem inter et regem Agamemnonem; furore sublato huic intumuêre præcordia (2).

. . . . . μένος δ' ἐς μέγα φρένες ἀμφιμελαιναι.
πίμπλαντ'

(1) Epist. anat. med. 37, §. 52.

(2) Ιλιαδος α. ραψ. υ. 104.

Horatium audi de Lydiâ suâ querentem :

Quùm tu, Lydia, Telephi
Cervicem roseam, et cerea Telephi
Laudas brachia : væ! meum
Fervens difficili bile tumet jecur (1).

Ad iram nimis pronos homines *Pecklinus* observavit, fœdo plerumquè colore flavo deturpari in facie et oculis, undè interdùm eorum indoles innotescit 2). Imò etiam in infantes transisse effectus iræ, observatum est cùm paulò post nutricis excandescentiam lac suxissent ad ejus ubera (3). Terror aliquandò visus est auriginem concitâsse ; et sontes visi sunt toto copore flavescere, statim post auditam in re capitali condemnationem.

Irritamenta diversissimi generis in corpore agentia, ductus biliferos in spasmos ciere possunt, et sic ictero ansam dare. Sic frigus observatum est nonnunquam auriginem produxisse. Observatio legitur in Actis Naturæ curiosorum neonati, qui ictericus evasit ab extremorum in aquam frigidam immersione, et intra paucos dies convulsus mortuus est (4). Ad icterum spasmodicum ille mihi videtur plerumquè referendus, qui ex viperæ morsu invadit. Hunc *Galenus* vidit in quodam imperialium servorum ab hac causâ ortum qui sub usu theriacæ prorsùs evanuit (5). Auriginem observavit *Bianchi* post quatuor horas ex viperæ morsu ingruentem (6), et *Meadius* auctor est sæpè intra minùs horæ spatium flavos evadere qui a viperâ mordentur (7). Ex sciuri morsu auriginem exor-

---

(1) Lib. 1, ode. 13.

(2) Observ. medic., lib. 3, obs. 25.

(3) Ephem. nat. curios., cent. 1, obs. 90. Vide etiam *Rosen*, Maladies des enfans, chap. 20.

(4) Decur. 3, ann. 1, obs. 86.

(5) *Galenus*, de locis affectis, lib. 5, cap. 7.

(6) Hist hepatica, pars 2.

(7) Mechanical account on poisons.

tam legis, quæ non ita multò post sponte evanuit (1). Observatum est interdùm icterum horrenda symptomata concomitâsse, quæ ex morsu canis rabidi exoriuntur.

Quæ ventriculum nimis violenter movent, icterum aliquoties causare possunt; sic post exhibitum emeticum, auriginem vidit supervenisse *Senacus*; et ipse in Nosocomio Dei nuper mulierem vidi, quæ proprio suo marte, propinato emetico, auriginosa evasit; morbus qui triginta abhinc diebus prosùs evanuit, etsi ferè nullis aut levissimis remediis usa fuerat ægra. Id quod emetica, parùm cautè adhibita drastica faciunt.

Præter varia et periculosissima symptomata, icterum quandoquè venena inducunt, dùm nempè spasmodicam systematis biliferi contractionem excitant; hunc imprimis effectum produxisse videntur fungi venenati (2).

Ictero de quo nunc sæpè morbosæ affectiones diversissimæ indolis ansam dant; quod frequenter accidit in morbis nervosis. Intra paroxysmos hystericæ passionis interdùm invadit, necnon in doloribus colicis qui hypochondriacos cruciant (3). In gravi illo morbo, quem *colicam saturninam* vocant, icterum vidit *Fernelius* (4); in eodem morbo, dùm in vigore erat icterum etiam observavit *Dehaën*, et nunquam criticum (5). Ad icterum spasmodicum, pertinere mihi videtur ille qui cum paroxysmis febris intermittentis periodicus invadit, et cum calore evanescit. Femina quadragenaria, febre intermittente per annum laborabat, quæ quo-

---

(1) Eph. nat. cur., cent. 3, obs. 37.

(2) Observations sur les pernicieux effets d'une espèce de champignons appelée, par Vaillant, *fungus mediæ magnitudinis, totus albus*, par *Lemonier*. (Mémoires de l'Académie des Sciences, ann. 1749.)

(3) *Raulin*, Traité sur les affections vaporeuses des personnes du sexe. *Pomme*, Traité sur les vapeurs.

(4) De lue venereâ, cap. 7.

(5) Ratio medendi, t. 10, cap. 1, obs. 4 et 7.

libet die cum paroxysmo febris, scilicet frigore, rigore, dein calore et vomituritione revertebatur. Aurigo per biduum durabat, et singulis hebdomadibus revertebatur (1). Casum singularem reperio in Diario medico anni 1768. Vir ad senium vergens, duabus horis antequam febris intermittentis invaderet paroxysmus, pruritu quodam afficiebatur in manus dextræ digitis et metacarpio, quas partes color flavus fœdabat, pollice excepto. Quandò in vigore calor erat, evanescebat flavedo, et tempore intermissionis cuti remanebat color naturalis, quæ ineunte paroxysmo rursùs flavescebat. Cortex peruvianus exhibitus, icterum localem et periodicum, unà cum febre profligavit (2).

Ex spasmodicâ contractione systematis biliferi, aurigo illa mihi videtur oriri, quæ corpus deturpâsse visa est, dùm insultu arthritico laborabat, et quæ in laborioso partu videbatur per universam cutem sese effundere. Huc quoque referri debet illam, nisi fallor, quæ post magna vulnera inflicta, aut chirurgicas operationes graves, nonnunquam invadit, maximè verò post capitis vulnera, et terebrationem calvariæ.

Ex causis remotis suprà allatis liquidò patet quàm sæpè icterus spasmodicus morbus secundarius sit. Quandò simplex est, cum aliis speciebus communia habet signa; cutis tamen et oculorum flavedo non tam obscura quàm in suprà descriptis; dolor nullus nec tumor adsunt. Torminibus in abdomine sæpè laborant ægri, et flatibus qui nonnunquam dolorem colicum causant; neque hîc consentire videtur illud medicinæ parentis effatum : *Icterici non admodùm flatulenti sunt.* Signa anamnestica plurimi faciunt, ut vera morbi indoles dignoscatur.

Morbus in universum levis est icterus spasmodicus; facilè cedit, imò etiam sponte interdùm evanescit, cùm causa quieverit; non

(1) *Sauvages*, Nosolog. meth., class. 10, gen. 30, sp. 8.

(2) Observations sur quelques jaunisses partielles, par *Starck*, Journal de Médecine, 1768.

tamen semper perindè est, et causâ occasionali profligatâ, remanet aliquando icterus sat diù durans, itu ut vix crederes morbum ex spasmo natum. In eorum cadaveribus, quos mors sustulit hoc ictero laborantes, ductus biliarii ut plurimùm pervii inventi sunt, ut in corpore sano; in quibusdam choledochus reperiebatur constrictus, et solitò minùs patens; imò etiam adeò ut (quod tamen rarò accidit) ex omni parte occlusus videretur; quod sat liquidò demonstrare videtur sequens observatio, quam in Actis Cæsareæ Academiæ relatam, ex cel. *Morgagni* huc proferam (1).

Vir quidam illustris, post vulnus minimè penetrans, in regione hepatis acceptum, biliosâ tertianâ febre et regio morbo, aliisque deinceps correptus, cùm evadendi spem præbuisset, et quod ad icterum attinet, fermè jam benè se haberet, mox vehementi, iteratâ et longâ animi commotione accedente, quam citò repentina faucium et pulmonum inflammatio excepit, *non sine metu et anxietatibus ob mortem imminentem*; hic intra triduum obiit. Præter cætera, intra vesiculam reperti sunt calculi tres, iique non parvi; sed et orificium ductus choledochi, totusque hic canalis ita obliteratus vel constrictus, ut ne minimo cuidam stylo, multò minùs bilis guttulæ amplius concederet transitum. Fuerat sanè ejus ductûs cavum ita constrictum, quandò cutis flavebat; alvi autem dejectiones albicabant et tardè ac difficilè detrudebantur. At certè non erat ampliùs; eo tempore quo cutis erat prorsùs naturalis, floridusque color restitutus, fecesque in magnâ copiâ, et naturaliter tinctæ prodibant. Veri igitur simile videri potest, inquit *Morgagni*, spasmodicam constrictionem, quam animi quies et curatio nuper laxâssent, per novas animi ejusmodi commotiones et lethalia symptomata intra illud triduum rediisse.

Cùm morbus plerumquè sit symptomaticus, qui ex spasmo systematis biliferi oritur icterus, et à diversissimis affectibus indu-

(1) Epist. anat. med. 37, §. 35.

catur, quantùm variare debent indicationes curativæ liquidò patet, et causis accommodari seu morbo primario. Mei operis non est medelam unicuique causæ aptissimam elucidare; hanc modò exponam quæ ictero à simplici spasmo convenit, et causâ procathartică fugatâ; quandò v. g. ex animi excandescentiâ invadit aurigo.

Proxima indicatio videtur esse, spasmum systematis biliferi solvere. Ad hunc scopum apprimè faciunt antispasmodica, ex opio imprimis desumpta et liquore minerali anodyno, nec non æthere sulfurico, cæterisque antispasticis remediis. Hæc multùm laudavit *Dechaux*, et parum nimis, ut qui falsò autumabat, causam icteri proximam plerumquè sistere in spasticâ contractione ductuum biliariorum (1). Balnea calida non parùm conferunt ad hunc spasmum solvendum, et à veteribus valdè decantata fuerunt. Sorbitiones diluentes et leniter aperientes, dùm secretiones adaugent, et alvum nimis strictam laxant, cum successu exhibentur, cùm morbus præsertim diuturnus fit; indè eximios effectus experti sunt nonnulli, sub usu decoctorum è radicibus chicorii, patientiæ, carotæ, et id genus, quibus adduntur sales qui alvum leviter ducant. Multùm juvant clysmatis formâ injectæ decoctiones è plantis emollientibus, et interdùm optimè succedunt injecta hoc modo antispasmodica, quæ ob ingratum saporem respuunt ægri. Flatus qui ægros sæpè cruciant, et ex debilitate viscerum digestioni inservientium oriuntur, medicamina ex blandè amaricantibus poscunt, quæ ventriculum roborent et intestina, et ita bilis defectui aliquatenùs suppleant. Medicamina omnis generis quid facerent, ubi post spasmum violentum penitùs occaluerit ductus communis? Nihil certè; et tùm immedicabilis evaderet aurigo, undè malorum ilias, quorum modò post mortem, recluso corpore, vera causa pateret.

(1) Journal de Médecine, février 1788, v. 74.

SECTIO QUINTA.

Icterus ex inflammatione hepatis, necnon induratione hujusce visceris.

Icterus producitur nonnunquam ab inflammato hepate; nec tamen semper occurrit ubi phlogosi detinetur hepar, et testante *Van-Swietenio*, locum habet oppidò rarò. Cum aliis icteri speciebus vix confundi potest; adsunt nempè in hoc ictero symptomata quibus inflammatio jecoris stipatur. Dolor in hypocondrio dextro, ad marginem costarum spuriarum, interdùm ad jugulum usque extensus, et contrectatione adauctus, necnon inspiratione; tumor quandoquè apparet in regione hepatis, et in epigastrio; pulsus celer, validus, interdùm tamen mollis. Aliquoties tussi siccâ vexatur æger, dolorem adaugente, vomitu rejicitur nonnunquam bilis colore viridi; alvus interdùm stricta, interdùm laxa est, et feces prodeunt bile viridi tinctæ, aut colore cinericio. Oculi præterea flavescunt et universa cutis, dùm urina mingitur rufa, et chartam aut lintea croceo colore fœdans. — Icterus de quo nunc, et qui facilè dignoscitur, ubi acuâ phlogosi laborat hepar, indicationes curativas easdem quam morbus protopathicus sequendas præbet; et huic ideò non diutiùs immorabor.

Jecoris inflammatio, ubi neglecta fuerit, aut pravâ methodo curata, in indurationem frequenter abit, quæ icterum inducit. Dolor tunc in hypochondrio dextro remanet obtusus, pressione auctus, aut sensus modò ponderis in hâc regione; quandoquè in tumorem attollitur hypochondrium dextrum, et contrectatione sentitur hepar infra marginem costarum spuriarum mole auctum et induratum. Nec tamen perindè semper res se habet, cùm observetur nonnunquam induratum sine volumine aucto, imò etiam contractâ mole. Icterus qui strenuos potatores invadit, ex induratione jecoris ut plurimùm oritur, quamvis nulla ejus visceris phlogosis acuta præcesserit, sed latens

fuerit et diù durans ; in eorum cadaveribus invenit *Stoll* hepar turgidum et induratum, necnon ductus biliarios schirrhosæ duritiei atque minùs patentes, præter numerosas alterationes in visceribus abdominis. Non verò semper auriginem inducit induratum hepar ; quod observationes demonstrant ab auctoribus relatæ, in quibus hepar induratum et suppuratum inventum est, quamvis nullum icteri signum ante mortem apparuisset.

Quâ ratione icterum inducat hepatis induratio, non omninò liquet inter medicos, et pro certo constituere nequeo. Ab hâc jecoris affectione productus icterus perniciosus est, ut plurimùm, et brevi post incurabilis ascites sequitur, qui ægrum intra breve tempus enecat. Hîc consentit *Hippocratis* effatum : *In ictericis, hepar durum fieri, malum.* (Sect. 6, aph. 42.) In hâc icteri specie, totius medelæ cardo vertitur, in curandâ jecoris induratione. Medendi methodi multùm variare debent, pro causis quæ indurationem induxerunt ; sic nonnunquàm diversa constitutionis vitia agnoscit, quæ curationem exposcunt sibi accommodatam. Virus venereum ubi intra corpus depaverit, visum est interdùm indurationem hepatis induxisse, undè aurigo, quam debellarunt antisiphilitica remedia (1). Induratio inflammationis sequela, quandoquè ubi non diuturna fuerit, remediis cessit quæ nomine *aperientium* et *resolventium* olim insigniebantur : huc exhiberi debent succi recenter expressi chicorii, fumariæ, taraxaci, necnon decoctiones herbarum aperientium, quibus acetas potassæ additur. Aloetica et rhabarbarica, atque resinæ purgantes cum sapone veneto conducunt interdùm, et à multis laudantur. Succussiones quæ in abdominis visceribus et imprimis in hepate excitantur à vomendi conatibus, anne eximios effectus sortirentur nonnunquàm? Medicos novi plures qui in hepatis chronicis infarctibus emetica exhibuerunt cum successu ; ubi tamen contra indicatio adfuerat nulla. Aquæ minerales aperientes, necnon leniter purgantes, effectum habuêre interdùm

(1) *Hufland's* medicinische Biblioteck, fünfter Band, p. 101.

optimum in solvendâ jecoris induratione, ubi non permagna fuerat (1). Sunt qui cicutam sub formâ extracti decantaverunt multùm, ad resolvendam indurationem hepatis; attamen repetita à nonnullis pericula ex votis non successerunt.

Præstantes effectus in hoc morbo extitisse, ex usu mercurii profitentur nonnulli inter Britannos, qui mercurium dulcem (murias hydrargyri dulcis) sub formâ pilularum exhibebant, aut frictiones in hypochondrio dextro instituebant cum unguento ex hydrargyro et adipe suillo, usquedùm salivatio levis indè oriretur.

Cæterùm maximè profuturum censeo vitæ genus accommodatum; cùm non fuerit adeò progressa induratio, ut nulla spes sanationis haberi possit. Diætam nimis neglexerunt neoterici in curatione morborum. Plurimùm tamen in corpora nostra res possunt, quæ nullo in tempore non agunt; nec hæc veteres latuêre, qui diætam in multis morbis præ medicamentis adhibebant. Aëre sicco et vivido uti debet æger, et ideò rure degere opportet, si possit, loco paululùm edito. Fallor, ni contrectatio hypochondriorum, dextri præcipuè, de die frequenter repetita, juverit; actionem nempè organicam in hepate concitat, quæ posset indurationem resolvere : ad hunc scopum conferunt adhùc frictiones cum pannis laneis siccis. Victûs ratio eo modo instituì debet, ut nimirùm vitentur cibi è carnibus pinguibus, duris, quæ difficulter coquuntur, necnon plantarum leguminosarum semina, quæ multùm aeris in intestinis generant; sed utantur cibis eupeptis, præsertim è vegetabilibus oleraceis recentibus, leviter amaricantibus, chicorio, taraxaco, et id genus; carnes edant non multas, leves, ut carnem vitulinam assam, nec non pulli gallinacei. Vino albo

(1) De aquis mineralibus talia dicit *Hoffmannus* : « Si dicere velimus, quod res est, rarò admodùm, vel prorsùs non icterus recidivans et chronicus, sine convenienti fontium salutarium usu, quales præcipuè sunt acidulæ Egranæ, Spadanæ et Schwalbenses et thermæ Carolinæ, ex voto poterit sanari. » (Med. rat. syst., t. 4, pars 4, c. 12.)

moderatè utantur, aut cerevisiâ tenui; spiritus ardentes, cane pejus et angue fugiendi sunt. Equitatio, à *Sydenhamo* tam decantata in morbis chronicis curandis, maximi momenti esse potest in induratione jecoris. Dùm enim equo vehimur, succutiuntur omnia penè abdominis viscera; sanguinis motus in his fit velocior, actio organica augetur ac transpiratio abundantior evadit; viribus accommodari debet equitatio; ita, ubi debilis fuerit æger, obambulandum est in locis planis; gressus equi ne sit incitatus, nec æger diù sedeat equo; si deindè vires suppetant, incitatior sit, ac per acclivia demùm, et de die diutiùs protracta equitatio. Cum debilis adeò fuerit æger, ut equo sedere non possit, rhedâ vehi oportet, cum eisdem cautelis pro viribus adhibitis.

Morbo diù protracto, et quandò ad scirrhosam duritiem est progressus, medicamentis cedit nullis; in pejus æger ruit, prosternuntur vires, crura et facies œdemate tumere incipiunt, brevi sequitur ascites, nec multò post ægri ad superos migrant.

Ad hanc icteri speciem auriginem referendam esse mihi videtur quæ post febres biliosas pravâ methodo curatas invadit, et quarum nonnullas historias reperies apud *Bianchium* (1) et *Tissotum;* necnon illam, quæ non rarò ex intempestivo corticis peruviani usu in febribus intermittentibus, præsertim autumnalibus, observatur, ab indurato nempè inducta jecore, cui nisi tunc subitò succurratur solventissimis remediis, in indomabiles morbos incidunt ægri (2).

---

(1) *Bianchi*, Hist. hepat. *Tissot*, Hist. feb. bil. laus. reliquiæ ex morbo.

(2) Vide *Ramazzini*, Dissert. epist. de abusu chinæchinæ, et *Van-Swieten*, Comment. ad *Boerhaav.*, aph. 950, et Comm. ad aph. 262.

SECTIO SEXTA.

Icterus ex hepatis organicis alterationibus, et cujus indoles modò post mortem, recluso cadavere, ut plurimùm patet.

Huc historiæ numerosæ referendæ sunt auriginis pertinacis, nec nullis remediis cedentis, de cujus causâ sæpiùs errârunt medici, dùm vivebant ægri.

Ex hepatis pravâ conformatione inducitur interdùm immedicabilis aurigo; ejusmodi reperies exemplum in historiâ regiæ Academicæ scientiarum parisiensis, à *Lemery* juniore allatum (1). Hunc morbum causârunt nonnunquam jecoris organica vitia diversi generis, seu steatomatosum fuerit hepar, aut hydatidibus infarctum; observationes ejusmodi benè multæ exstant apud auctores, quas brevitatis gratiâ non referam. In meatu vesiculæ bilis reperta est carnea excrescentia, quæ illum obturando, insanabilis icteritiæ evaserat causa (2); et observatus est ductus choledochus omninò occlusus, et osseæ duritiei, quod immedicabilem auriginem produxerat. Ex *Rhodio* relata est in Sepulchreto *Boneti* (3) historia puellæ cujusdam, satis boni habitûs, ictero fœdata diuturno, quam post initum aperientium, aliorumque remediorum usum, vita defecit. In cadavere, præter vesicam felleam, ejusque meatum in duodenum, bona mesenterii pars fuit planè ossea. Non rarò incurabilis evadit icterus, ex ductu choledocho, glandulis lymphaticis induratis compresso, quæ eum circumdant, ita ut viam bili præcludat quâ se in duodenum effundit (4).

---

(1) Histoire de l'Académie des Sciences, ann. 1704, p. 54.

(2) *Boneti* Sepulchret., l. 3, sect. 18, obs. 13.

(3) Loco citato, obs. 16.

(4) Ejusmodi observationes leguntur in Sepulchr., l. 3, sect. 18, obs. 11 et 25. Vide etiam *Stoll.*, Rat. med., pars 3. *Cruikshank*, Anatomie des vaisseaux

Icteri observationem memorat *Mead* dignam quæ huc referatur. Vir quidam operarius, annorum quadraginta, cùm ante quinque menses ab acutâ febre convaluerat, sensit in hypochondrio sinistro inflammationem, quâ repressâ, in icterum pertinacem incidit, alvo fecibus albis adstrictâ, brevìque periit. In aperto abdomine fluitabant sanguinis ad sensum saltem sinceri libræ quatuor. Mirantibus undè is effluxerat, se visui obtulerunt membranulæ quædam, quasi dirupti sacculi fragmenta, putrido hîc loci et corrupto omento. Pancreas autem non scirrho tantùm, sed et cancro occupatum fuit; ex illo enim inciso, in chirurgi faciem lymphæ guttulæ aliquot, acres adeò et corrodentes prorumpebant, ut cutem non secùs ac oleum vitrioli læderent. Lien etiam scirrhosus erat. Vesicula fellis maxima, et bile repleta non flavâ, sed viscidiore et obscurè virescente. Hepar nusquam induratum, et ubicunque infligeretur vulnus, similem humorem profudit. Universæ denique corporis partes, membranæ, adeps, glandulæ, imò ipsa costarum substantia, flavo colore suffundebantur, fibris muscularibus exceptis, quæ nusquam erant infectæ. Ex vesiculâ autem digitis compressâ, nihil bilis in intestina effluxit; ita enim quasi injecto vinculo contractus erat, quà ductus hepaticus in unum coit hujus meatus, ut stylum non caperet (1).

A tumore duodeni scirrhoso, ductum choledòchum comprimente, auriginem legis natam (2).

Tumor steatomatosus intra thoracem natus visus est icterum induxisse, cùm nempè biliarios ductus comprimeret. Vir quidam levi spirandi difficultate correptus est, quæ sensim deindè augebatur. Tertio abhinc mense, paulatim dextrum hypochondrium intumuit, et quarto color flavus cutem invasit universam; aurigi-

---

lymphatiques, trad. par *Petit-Radel*, chap. 8. *Portal*, Observations sur le traitement et la nature des maladies du foie.

(1) Monita et præcepta medica. cap. 951.

(2) *Portal*, opere citato, p. 122, obs. U.

nosus factus est æger, et quinto mense elapso obiit. Recluso corpore, in thorace reperitur tumor in pleurâ situs, qui gradatim adauctus, pulmonem dextrum compresserat, necnon hepar. Ad dimidium sui volumen redactus erat pulmo. Spiritûs difficultas et simul aurigo paulatim auxerant, prout tumor creverat (1).

In observationibus relatis, nullum signum certum apparuit, quò innotuere potuisset vera morbi indoles, ac si innotuisset nullo modo debellandus erat; attamen ad verum morbi præsagium, nec non ad artis decus summoperè contulisset. Quapropter lugendum, quod nullis certis signis ejusmodi icteri innotescat causa; veniet fortè dies quo hæc stabilientur observationibus accuratis, quod valdè desiderandum est, et ex nuperorum solertiâ expectandum.

SECTIO SEPTIMA.

Icterus judicatorius.

Bilem interdùm ad cutem effundit natura, quo faciliùs morbos depellat; is icterus criticus vel judicatorius nuncupatur, quia illo apparente mitescit morbus, imò etiam interdùm omninò evanescit. *Hippocratem* non latuit, observatorum sagacissimum, qui experientiæ suæ summam de ictero critico in aphorismis retulit, necnon in coacis Prænotionibus, et in his pænè omnes consentiunt observationes medicorum qui post illum venerunt. Sequentibus notis dignoscitur icterus criticus : 1.° urinæ ictericorum more non sunt coloratæ, neque flavo colore tingentes, et fæces prodeunt minimè cinericiæ; 2.° hypochondria neque dolent, neque tument, et præsertim dextrum hypochondrium; 3.° icterum criticum præcedunt signa coctionis; 4.° in aliquo dierum decretoriorum icterus criticus supervenit, et apparente illo, æger benè se habet, et morbum ex toto solvit, aut saltem aliquatenùs; 5.° brevi color flavus evanescit, et sponte, absque ullis remediis adhibitis.

---

(1) Histoire de l'Académie des Sciences, ann. 1722, p. 18.

Quibus in febribus, ait *Hippocrates*, aph. 64, sect. 4, *morbus regius septimo vel nono, vel undecimo die, vel quarto decimo supervenerit bonum, nisi dextrum hypochondrium induruerit; alioquì non bonum.* Id ut plurimùm accidere constat experientiâ, sed non adeò constanter, ut nunquam icterum criticum ante septimum diem non fuerit observatum. *Diocles*, testante *Celso*, post febrem supervenientem, icterum prodesse autumabat, quocunque die illuxerit (1). In calidis regionibus, se icteritiam quinto die supervenientem vidisse criticam et bonam *Averrhoës* asserit (2). Hùc *Plinii* auctoritatem non afferam, quippè quòd divum senem minùs rectè vituperaverit docuisse : *Icterum ante septimum diem in febre, mortiferum signum esse*, et qui addit posteà : *Nos scimus vixisse aliquos, etiam ab hâc desperatione* (3). Non enim icterum ante septimum diem in febre, pro semper mortifero signo habuit *Hippocrates*, sed modò docuit esse ut plurimùm malum, nisi confluxus humorum fieret per alvum; et in epidemicorum libris observationes icteri legesis ante septimum diem supervenientis, qui tamen morbum judicavit. Mulier Philistidæ Heraclei febre laborabat; tertio die ad vesperum icterus invasit, et die septimo judicatus est morbus. In epidemicorum libro primo, quosdam observavit *Hippocrates* die sexto auriginosos, sed aliâ tunc prodeunte evacuatione evasisse; hæc sunt ejus verba : *Quibusdam morbus accidit sextâ die; verùm his purgatio per vesicam, aut alvus exturbata profuit, aut larga sanguinis eruptio, velut Heraclides qui decumbebat apud Aristocidem; nam huic et ex naribus sanguis erupit, et alvus turbata est, et per vesicam purgatus est. Die vicesimâ judicatus est, non velut Phanagoræ servus, cui nihil tale factum est, et mortuus est.*

Observavêre nonnulli nuperorum auriginem in febribus ante septimum diem supervenisse bonam et criticam (4).

---

(1) *Corn. Celsus*, de Re medicâ, l. 3, cap. 24.

(2) Lib. 4, collig. cap. 43, ex *Schenkio* citatus.

(3) Histor. mundi, lib. 26, cap. 12.

(4) *Amatus Lusitanus*, Curat., cent. 3, cur. 49. *Marcellus Donatus*, Med. hist.

Ex his patet, nisi fallor, icterum in acutis bonum et criticum esse, etiam ante septimum diem, si superveniat exstantibus coctionis signis, et ubi unâ aliqua vel plures evacuationes apparuerint. At exitialis est, ubi cum non bonis signis, et crudo adhuc existente morbo evaserit; quod Hermocrati accidit, *qui quinto die urinas tenues reddidit; suspensionem habebant, nec subsidebant; sub noctem deliravit. Die sexto auriginosus evasit; omnia exacerbata sunt, mente non constabat;* obiit die vicesimo septimo (1).

Non in febribus solummodò, criticus supervenit icterus; at alii etiam morbi nonnunquam solvuntur illo apparente. Pleuritidis biliosæ observationem narrat *Forestus*, septimo die apparente ictero solutæ (2). Nervosos affectus allevat interdùm his superveniens aurigo; sic hystericæ passiones quandoquè per icterum supervenientem solvuntur (3). Dolores colici mitigati sunt, imò etiam omninò evanuerunt invadente ictero. In colica Damoniorum nonnunquam pro tempore erumpentem icterum morbum solvisse observavit *Huxhamus*, quo recedente, mox redibant dolores; in uno et altero casu, verus permanens icterus, hunc morbum absolvit prorsùs remanente tantùm quâdam artuum molestiâ (4). Vini potatores, colicis doloribus correptos non rarò *Bianchius* vidit ab his immunes, per subitum salutarem icterum; et irâ conflatos idem auctor est, in statum quandoquè valetudinarium incidere, ni icterico affectu corripiantur.

---

mirabil. l. 1, p. 28. *Hollerius*, in febre epidemicâ tertianâ, anno 1549, Lutetiæ grassanti, auriginos in primis diebus factos vidit, citra ullum vitæ discrimen.

(1) Epid., lib. 5, æger secundus.

(2) Lib. 16, obs. 35.

(3) *Bianchi*, Hist hepat., pars 3, cap. 5.

(4) *Huxham*, Opusculum de morbo colico Damoniorum epidemicè grassante, anno 1774.

Ex omnibus quæ in præcedentibus sectionibus allata sunt, sequentia deduci posse mihi videntur :

1.° Sub *icteri* verbo, affectus morbosi comprehenduntur multiplices, naturâ diversi, qui omnes colore oculorum flavo et cutis insigniuntur, cum fæcibus ut plurimùm albicantibus, seu cinericiis, et urinâ croceâ.

2.° In naturali morborum distributione, intra genera minimè affinia collocarentur diversæ icteri species.

3.° Icterus rarò morbus est non symptomaticus.

4.° Quamvis plerumquè symptomaticus sit, suos tamen exerit effectus ; undè epigeneses, quæ morbum primarium adaugent vel complicant, et proprias indicationes præbent.

5.° Magni interest, ut signa unicuique speciei caracteristica determinentur observationibus certis, ut vera morbi indoles innotescat, nec una confundetur cum alteris.

6.° Causas icteri frequentissimas fellea concrementa constituunt, necnon systematis biliferi spasmodica contractio.

7.° In hoc morbo, valdè diversa est prognosis, pro ratione causarum quæ auriginem inducunt. Levis interdùm morbus est et sponte cedens, aut remediis auscultans lenissimis ; pertinax interdùm et recidivans ; quandoquè immedicabilis fit et exitialis, ubi graviter affectum est hepar. Acutis morbis superveniens icterus, cum bonis cæterùm signis, et ad tempus coctionis, morbum solvit aut mitigat, nisi dextrum hypochondrium induruerit ; si verò cum malis signis, ante septimum diem apparuerit, malum est.

8.° Quantùm diversa esse debet icteri therapeia, liquidò patet ; variis causis et indicationibus accommodandæ sunt curativæ methodi. Summopère illi errârunt, qui *specifica remedia* in hoc morbo decantavêre. Vera *anti-icterica* sunt quæ causam morbi proximam auferunt, et diversissimâ sunt agendi ratione, ita ut in omnibus speciebus eadem remedia minimè conveniant.

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΑΦΟΡΙΣΜΟΙ,

de ictero.

Α'.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτεροι ἐπιγίνονται πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν. (ἢν μὴ ξυνδόσιες ὑγρῶν κατὰ τὴν κοιλίην γένωνται). (ΤΜΗΜΑ ΤΕΤΑΡΤΟΝ, αφορ. ξϛ'.)

Β'.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐννάτῃ, ἢ τῇ ἑνδεκάτῃ, ἢ τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθόν· ἢν μὴ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ᾖ· ἢν καὶ μὴ, ἐκ ἀγαθόν. (ΤΜΗΜΑ ΤΕΤΑΡΤΟΝ, αφορ. ξδ'.)

Γ'.

Ὁ ἰκτερώδεες ἁπάντι πνευματώδεες εἰσιν. (ΤΜΗΜΑ ΠΕΜΠΤΟΝ, αφορ. οϛ'.)

Δ'.

Ἐν τοῖσιν ἰκτερικοῖσι τὸ ἧπαρ σκληρὸν γενέσθαι, πονηρόν. (ΤΜΗΜΑ ΕΚΤΟΝ, αφορ. μϛ'.